





14

DE  
**PERICVLO GRAVIDARVM  
EX FEBRIBVS**

---

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI

POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS CONSILIARIO INTIMO  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVEL. ORDINARIO, FACVLTATIS  
MEDICAE SENIORE ET REGIÖRVM ALVMNORVM EPHORO, IMPERIALIS ACADEMIAE  
NATVRÆ CVRIOSORVM PRAESIDE, REGIAR. SOCIETAT. SCIENTIAR. ANGLICAN.

BEROLINENS. AC MONSPELIENS. SODALI, ET COMITE

PALATINO CAESAREO,

PRO

**G R A D V   D O C T O R I S**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS MORE MAIORVM LEGITIME CONSEQVENDIS

DIE VIII. OCTOBR. A. S. R. CIICCLXIII.

PVBLINE DISPVTABIT

AVCTOR

**IOHANNES GEORGIVS WEGELIN**

WERTHEMIO - FRANCVS.

\*\*\*\*\*  
HALAE MAGDEBURGICAE, LITTERIS BEYERIANIS.



V I R O  
PERILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO  
ATQVE EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
D. CHRISTIANO ANDREAE  
COTHENIO,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS BORVSSORVM

ET

ELECTORIS BRANDENBURGICI A CONSILIIS INTIMIS  
ET ARCHIATRO PRIMARIO,

REGIORVM EXERCITVVM MEDICO GENERALI,

SVPREMI COLLEGII MEDICI DIRECTORI SPECTATISSIMO,

N E C   N O N

COLLEGII MEDICO - CHIRVRGICI , QVOD BEROLINI  
FLORET, DECANO,

CIRCVLORVM QVORVM DAM MARCHIAE BRANDENBURGICAE  
PHYSICO,

ACADEMICARVM IMPERIALIS NATVR. CVRIO\$OR. ADIVNCTO  
NEC NON REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS,

V T . E T.

COLLEGII SANITATIS, QVOD BEROLINI EST,  
SODALI MERITISSIMO,

VIRO  
TEREASTRI EXORDIUM DOCTRINAM  
ATQVE ETIQUETTAM  
DOMINO  
CHRISTIANO ADIECIT  
MAECENATI ATQVE PATRONO SVO

OMNI MENTIS REVERENTIA  
AETERNUM PROSEQVENDO,

NEC

NEC NON  
VIRO

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO  
ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. CASIMIRO CHRISTOPHORO  
SCHMIDELIO,

SERENISSIMI MARCHIONIS BRANDENBURGICO-  
CVLMBACENSIS A CONSLIIS AVLICIS,  
APVD MVSAS ERLANGENSES  
MEDICINAE, ANATOMIAE ET BOTANICES  
PROFESSORI PVBLICO ORDINAR.O,  
ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM  
ET  
SOCIETATIS BOTANICES FLORENTINAE SODALI,

PATRONO, FAVTORI

ATQVE

PRAECEPTORI SVO

EA, Q VA DECET, OBSERVANTIA  
AD VRNAS VSQVE PROSEQLINDO,

SPLENDIDISSIMO HVIC DVVMVIRATVI

CVIVS

SVMMA IN REM ERVDITORVM PVBLCAM

EXISTVNT MERITA,

LEVIDENSE HOCCE SPECIMEN IN AVGVRALE

D. D. D.

ET

SE SVAMQVE FORTVNAM

CVM

VOTO DEVOTISSIMO

FELICITATIS CONSUMMATISSIMAE

ET

PERPETVAE INCOLVMITATIS

OMNI PIETATE

COMMENDAT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSEQVIOSISSIMVS,

IOHANNES GEORGIVS WEGELIN.



§. I.

Egregium sane est illud MVSITANI effatum, quod miserabilis  
prae hominibus sit mulier, tam in coelibi, coniugato,  
grauido, quam viduo statu, quia vnius vteri ratione  
sexcentis facta est calamitatibus obnoxia: in omni enim  
aetate, statu et conditione vterus mulieres angit, inque varios casus et vi-  
tae coniicit discrimina. Horum numero maxime accedunt omnes morbi,  
qui Febrium nomine veniunt. Tristissimam omnino stragem febres, eae  
praecipue, quae acutarum typum seruant, in grauidis edere solent. Ma-  
gnum ipsis est metuendum periculum, si cum febribus intermittentibus; maius  
plerumque, immo maximum, si cum continuis arque continentibus est con-  
flictandum. Non vnius, sed duorum, immo plurium vita sub eiusmodi sta-  
tu aerumnoso in maximis versatur angustiis. Infaustissimo igitur omne eius-  
modi febres tunc genus femininum infestare, neminem negaturum esse ar-  
bitror. Damna, quae ex his in propagationem generis mortalium redundant,  
nostra attentione esse dignissima, quis dubitabit? Haesitanti igitur mihi, qua-  
lem

## DE PERICVLO GRAVIDARVM

lem materiam pro Specimine inaugurali eligerem, tandem sequens argumentum menti oculisque sese subiecit. Perlegenti enim diu **HIPPOCRATIS** scripta, eius sententia, quam de pericolosa febrium, grauidis superuenientium, indole patris quidem, sed acutissimis verbis tulit, dum *Aphorism.* 55. Sect. V. dicit: Ὄνόσαι ἐν γαστὶ ἔχεται ὑπὸ πυρετῶν λαμβάνονται, καὶ ἰχυῶνται ἀνεψιοφάτιος φωνεῖται, τὴντοι χαλεπῶς, καὶ ἐπικινδύνως ἡ ἐπιτέλωσις τοι παθουμένων, vltiori illustratione mihi visa est dignissima. Hisce adductus rationibus, *de Periculo grauidarum ex febribus* agere mecum constitui. Haud superuacaneum me suscepturnum esse laborem confido, si primitias meas academicas vberiori asserti huius *Hippocratici* explicationi consecrauero, in primis cum neminem adhuc, nisi omnia me fallunt, hocce argumentum ex professo, vt aiunt, pertractasse mihi persuadeam. Evidet non plane exhaustam huius materiae pertractionem a me L. B. exspectabis, cui praestan-  
dae vires meas longe impares esse lubentissime profiteor; sed contentus ac quietcam, si qualesunque hosce conatus haud irritos fuisse iudicabis, nihilque magis in votis habeo, quam vt primis hisce laboribus academicis faueas, eosque serena vt accipias fronte, humanissime rogo.

## §. II.

Antequam vero ad ipsum huius materiae pertractionem me accingam, quaedam de instituti mei ratione prius a me praemonenda esse, probe perspicio. Febres, quatenus in grauidis obseruantur, rationem suam sufficien-tem habere possunt, vel in statu grauiditatis, vel in aliis cauiss externis aequi-  
ac internis. Haec febrium classis cauiss agnoscit, quae in omnibus indui-  
duis, sine respectu ad sexum et vitae genus, febrem determinare potest; illa  
vero complectitur febres, quae quasi effectus plerumque insalubres grau-  
ditatis sunt, quae adeoque *febres grauidarum symptomaticae* merito vo-  
cari possunt. Amplissimus quidem differendi campus mihi supereffet, si  
febrium a grauiditate non pendentium Pathologiam praemitterem; sed cum  
pluri-

plurimorum in scientia nostra celeberrimerum Virorum scripta solidissima hanc iam satis superque perstrinxerint; ne crambem bis coetam apponere videar, vberiori huius pertractione maxima ex parte supersedeo. Februm vero, quas proprie magis inducit grauiditas, pertractione tanto accuratori disquifitioni mihi submitenda est, quo euidentius patebit, illam fundamenta suppeditasse, quibus suffultus, periculum inde a febribus ad grauidas redundans legitimo concludendi modo stabilire potuerim. Ut id vero commode praestarem: mutationibus, quae in grauidis oboriuntur, primus vindicetur locus; ex his possibiliterem februm earumque diuersarum specierum sub grauiditate eruam; denique periculum, quod ex his grauidis imminet, paullo vberius exponendum, hisce finem imponat.

## §. III.

Iam dudum inter Pathologos obtinuit diuisio febrium in *simplices*, *compositas* et *complicatas*. Simplicium februm numerum explet *intermittentes*, *continuae* et *continentes*, licet sint non infimae notae Pathologi, qui continentes ad continuas, minus tamen recte, referunt. Febris *composita* totum est, ex pluribus februm simplicium speciebus conflatum; atque haec *complicata* audit, quatenus nulla febris compositae species a praesentia alterius sufficienter pendet. Aliae tandem febres *acutae* sunt, aliae *chronicae*, aliae, nimurum sub compositione, nonnunquam *acutae* et *chronicae* simul, prout sci licet febres genium morbi acuti, aut indolem morbi chronicci praese ferunt. Reliquas februm diuisiones hic recensere nihil attinet.

## §. IV.

Cum mihi proposuerim, a qualitate atque quantitate cauffarum proximorum atque symptomatum, huic vel illi februm generi sollemnum, ad qualitatem et quantitatem periculi, grauidis a febribus imminentis, in subsequentibus concludere: ut principia demonstrandi, quibus cetera imitantur, in promptu

B

habeam,

habeam, leges bonae methodi a me requirere videntur, vt caussae proximae, febribus in genere competentis, ratione habita, ea tantum, quae scopo meo satisfacere possunt, symptomata in medium proferam, horum omnium vero demonstrationem, breuitatis studio adductus, praetermissurus.

## §. V.

In omni febre obseruatur spasmus, in peripheria corporis sese exserens, qui plerumque vel tensione in spina dorsi, vel horripilatione, vel horrore, pro diuersa indole febris, sese prodit, cum pulsu celeri atque frequenti illum excipiente.

## §. VI.

*Febribus intermittentibus*, praeter alia, sequentia follennia esse solent symptomata: I. Tempus inuasionis sese manifestare solet oscitatione ac pandiculatione, hanc subsequitur, II. frigus, cum horripilatione atque horrore coniunetum; III. pulsus tunc est celer, frequens, paruuus atque debilis, vrina vero plerumque est tenuis et cruda. Hocce stadio absoluto obseruatur IV. calor atque rubor in extremis, pulsus maior, vrina plerumque rubra; tum V. sudor largus erumpere solet, quem excipit lassitudo et debilitas corporis, nec non vrina post aliquot paroxysmos conspicitur crassa atque turbida.

## §. VII.

*Febrium continuarum* symptomata generaliora constituant, aestus aliquando remittens, non vero plane cessans, modo statu, modo vago tempore recurrens, quem antecedit spasmus febrilis et languor corporis.

## §. VIII.

*Febrium continentium* symptomata cum continuarum congruent, nisi quod istae febres aestu maioris gradus, nec ante febris solutionem remittente, et pulsu magno, interdum etiam duro, sint stipatae.

## §. IX.

## §. IX.

*Causa febrium intermittentium* proxima est vel viscidum quoddam copiosum, acre atque tenax, in primis et secundis viis visceribusque compluribus abdominalibus haerens, cuius subtilis pars acrior certo tempore, determinata in quantitate, cum sanguine ad cor tendente communicatur; vel debilitas primarum viarum et vasorum, per hepar praeципue et lienem transfusum; vel demum singulare neruorum vitium, quod maxime sub fortioribus animi pathematibus sese exserit.

Vid. de ultima hac causa celeberr. TRALLE'S Tract. de Opio Sect. II. §. IV. p. 70.

## §. X.

*Causa febrium continuorum* proxima est materia quaedam acris magis subtilis, vel in vasibus minimis iam haerens, vel ad M. S. delata, aut inaequali quantitate resorpta. Cum autem febres inflammatoriae et lentae quoque ad continuorum genus referantur: praeter materiam acrem modo eminens quaedam inflammatio, modo notabilis stasis sanguinis in visceribus subnata, causam febrium continuorum constituit. Interdum etiam plures harum causarum simul proximam efficiunt, vt in variolarum febre secundaria, vbi tam inflammatio, quam acre resorptum febrem producit. Nonnunquam doloris vehementia accedit, vt in febribus vulnerariis, inflammatoriis, immo variolosis.

## §. XI.

*Causa febrium continentium* proxima est plethora, quatenus vehementissime commota.

Vnde patet, cur HOFFMANNVS febrem continentem cum febre inflammatoria vniuersali comparauerit.

Quae in §§. anteced. de symptomatibus nonnullis et causis febrium proximis differui, sufficientia Pathologiae gnaro sunt, haec ad compositarum et complicatarum febrium symptomata et causas proximas applicare cun-

pieni. Quumque praeterea ex iisdem febrium acutarum et chronicarum natura, Pathologia simul in auxilium vocata, egregie innotescere queat: hisce vterius immorari non opus esse duco.

## §. XII.

Ex obseruationibus colligi potest: Grauiditatem cum mensium suppressione esse connexam. Suppressio ista diuersis euenire solet temporibus, pro ratione nempe aetatis atque dispositionis subiecti ipsius, nec non regiminis vitae. In feminis enim quibusdam, quae in aetate iuvenili versantur, fluxus menstruus vsque ad quintum mensem durare potest, licet hic solum ex vagina prodire debeat, adeoque non tanta quantitas sanguinis, quanta ante conceptionem prodibat, excerni potest. Quod ad dispositionem corporis et regimen vitae attinet: in subiectis sanguineis, quae bonos alunt siccios, in diaeta lauta versantur, vitam gerunt sedentariam, excretiones sanguineas adsuetas negligunt, aliasque caussas plethorae genesi fauentes admittunt, eiusmodi excretio sanguinea diutius durare solet.

Quibusdam haec sub grauiditate contingens suppressionis species *cessatio mensium* audit; sed, me quidem iudice, minus adaequate. Sunt praeterea equidem subiecta, in quibus mensium fluxus toto grauiditatis tempore continuat; verum paucissima haec exempla propositionem, a plurimis casibus peritam, infringere non possunt. Ceterum plus forsitan fluxus menstrui in grauidis suppressione miranda erit, quam vulgo quidem putatur. Scio, quod Auctores in explicando hoc phaenomeno partim ad foetus nutritionem, partim ad mutationem vasorum vterinorum sub grauiditate respiciant. Verum prior caussa primis saltem mensibus plane insufficiens est huius suppressionis caussa. Atque si posterior tantum valerer, explicare non possemus, quomodo fieret, ut haemorrhagia narium, fluxus menstrui vices ante grauiditatem gerens., mox a conceptione supprimeretur? qualem casum recensuit stockivs in *Commerc. litt. Norimb. ann. 1731. pag. 59.* Femina enim 23. annorum, nunquam ordinariam alias sanguinis per uterum excretionem experta, sed loco

loco illius singulis mensibus narium haemorrhagia satis larga afflita, concepit. Supprimebatur tunc narium haemorrhagia, atque secundo a partu mense ordinarius demum mensium fluxus comparere coepit. Num forsitan a grauiditate quoque vasorum narium situs, directio, &c. mutantur? Nemo, credo, tale quid affirmabit. Multa itaque nobis adhuc in euoluenda huius suppressionis caussa abscondita supersunt.

## §. XIII.

Plenariam istam suppressionem mensium varia antecedere solent symptomata. In quibusdam enim maculae liuidae et flavescentes hic illic oboruntur; aliae pathemata animi frequentissime admittunt, appetitu versus insolita, qui *picae* nomine venit, indulgent, et in huic vel illius esculenti quantitate peccant; aliae mane vomitu er, quae hunc antecedit, nausea vexantur; cibos varios, in primis carnes, auersantur; de lassitudine et grauitate corporis conqueruntur; aliae ad somnum proclives, tristes, viri commercium euitare solent; aliis denique odontalgia, continuum salivae profluvium, alui obstructio, aliaque incommoda superuenire obseruantur.

## §. XIV.

Ad symptomata vero ipsius cessationis pertinent: inflatio vasorum colli, faciei atque temporum, et, qui ab hac dependet, adspectus rubicundus; in quibusdam distensio vasorum encephali caussam cephalalgiae atque vertiginis constituit; quibusdam spasmus Paracelsi fixus, lumbago, malum ischiadicum, familiaria esse solent; quedam colica, mammarum dolore acuto atque pectorio torquentur, aut oedematibus pedum multisque aliis adfliguntur incommodis.

## §. XV.

Denique tam ob retardatum circulum sanguinis in visceribus abdominalibus, quam ob impeditum regressum sanguinis ex extremitatibus inferioribus,

## DE PERICVLO GRAVIDARVM

stases, spissitudo atque obstrunctiones, nec non distensiones vasorum a sexto grauiditatis mense determinari solent. Hinc ortus varicosorum tumorum.

Conf. *Illiustr. SCHMIDELII*, Fautoris atque Praeceptoris mei ad cineres vsque colendi, *Diff. de Tumoribus a Grauiditate*, in qua genesis eiusmodi tumorum pro more suo solidissime exposuit.

## §. XVI.

*Primis a conceptione mensibus plethora in plerisque grauidis oriri debet.* Sanguinem menstruum ad nutritionem foetus requiri, in physiologicis demonstratur. Iam nulla adest proportio inter incrementum foetus et sanguinem, qui alias extra grauiditatis statum primis hisce mensibus excerni debuisset. Tanta igitur sanguinis quantitas nutritioni foetus impendi nequit; hinc, suppresso fluxu menstruo, primis a conceptione mensibus plethora, pro subiecti ipsius conditione, diuersi gradus oboriatur, necesse est.

Hinc sit, vt grauidae, loco fluxus menstrui, alias nonnunquam haemorrhagias experiantur, v. g. haemorrhagiam narium, haemoptysin, haemorrhoides. Nonnunquam fluor albus vicem excretionis sanguineae menstruae sustinet.

## §. XVII.

*In statu grauiditatis se- et excretiones serofae atque excretio aliina languescere debent.* Plethora enim (§. ant.) se- et excretionum languescentium cauſa esse potest. Ex Physiologia scilicet patet, ad secretionem motum quoque progressuum fluidi fecernendi determinatae celeritatis requiri. Ab abundantia vero sanguinis vasa distendi, adeoque debilitatem pati possunt (per Path.). Debilitas porro vasorum, eadem teste, motum progressuum imminuit: Ergo plethoram praeignantium se- et excretiones imminuere posse apparet. Quodsi vasorum debilitas a plethora in ipsis vasis secretoriis oritur, eo magis se- et excretiones languescentes erunt possibles, ob vim illorum absolutam

solutam imminutam (per Physiol.). Denique vasa serosa ad sui orificia a vasis sanguineis, sanguine abundante turgentibus, compressiones pati possunt (per Pathol.); immo plethora, distensio abdominis, compressio partium adiacentium, ab utero facta, caussas tam spasmorum in peripheria corporis comparentis, quam obstructionis aluinae et imminutae excretionis vrinae suppeditant (per Pathol.). Excretiones igitur ex his quoque rationibus vel suppressi, vel langescere debent. Huc pertinent quoque, quae grauidae in regimine vitae admittere solent, vitia diaetae, nec non animi pathemata, aliaeque caussae externae.

Non omnes ac singulas quidem se- et excretiones in uno individuo simul langescere existimo, sed modo hanc, modo illam se- et excretionem in femina quadam grauida imminutam esse posse affirmo. Ad frequentissimas tamen perrinet alii obstratio, vrinae suppressio atque excretio peripherica impedita, quas itaque excretiones praecipue mini in §. attendendas esse existimau. Obstructio aluina eo magis hic attendi metetur, quo grauior ipsius est in suppressienda excretione cutanea potestas.

### §. XIX.

*Ergo quoque possibilis erit in grauidis cacochyria.* In §. antec. demonstrauimus, motum sanguinis progressuum langescere in plethoricis. Iam ex motu sanguinis imminuto oriiri debet spissitudo, adeoque laesa quaedam sanguinis quantitas, quae *cacochyriae spissae* nomine venit (per Pathol.). Spissitudo hinc eo faciliter producitur, quo magis subiecta sequioris sexus ad eandem iam prona sunt, quoque magis grauida, non habito etiam respectu ad plethoram, vt debilis concipienda est. Ex eodem §. apparet, se- et excretiones serosas esse languidas in plethoricis. Per excretiones autem serosas multas partes heterogeneas atque nocivas e corpore eliminari, Physiologia docet: Ergo, vt multae partes heterogeneae atque impuritates salinae in corpore retineantur, atque proportionem vitiatam partium M. S. constituentium produ-

producant, necesse est. Praeterea obstrūctio aluina (§. antec.) non poterit non hanc particularum nocentium quantitatem adaugere. Quo diutius enim haec perdurat, eo plures particulae putridae ad M. S. resorbentur (per Pathol.). Et quid dicam de mala digestione, viscerumque debilitate, quae assimilatio-  
nem ciborum impedit? En alias cacochyiae caussas!

Ortus cacochyiae spissae impossibilis quidem videri posset, quia particulae fluidissimae atque subtilissimae, ob se- et excretiones languescentes, in M. S. retineri debent. Sed nullam video rationem, cur in excretione languescente non aequae partes fluidissimae atque subtilissimae, crassioribus atque solidioribus in sanguine relictis, excerni possint? Et ponamus quoque, has remanere, tunc eo magis plethora, et ab hac de-  
pendens motus progressiū sanguinis imminutio increbet, quo maior erit ipsa massa. Quid? quod iste tunc casus similis est illi, ubi in M. S. aqua nimium quantum abundat. Verum innotuit iam Pathologis, inde spissitudinem oriri posse.

Hinc igitur ortus diuersarum Cacochyiae specierum, pro specifica humorum mixtione depravata et pro eminenti hac vel illa sanguinis, seri atque lymphae parte constitutiva respectu totius mixti, perspicitur, quae vel ante conceptionem iam fluidis inhaerebat, vel in ipso gestationis studio est prognata. In casu priori cacochyia semper esse poterit maior atque periculosior posteriori, quia maius in ipsa grauiditate capere potuit incrementum. Paucis adhuc moneo, tali ratione a cacochyiae nouam languescentium excretionum serofarum caussam enasci.

### §. XIX.

Adeoque et omnes, qui ob se- et excretiones languescentes atque caco-  
chymiam per se possibles sunt morbi, in grauidis quoque possibles sunt, et  
eminenter quidem gradu, quam in iis, in quibus non tantae tamque multi-  
fariae obtinent excretionum languescentium et cacochyiae caussae (§§. XVIII.  
XIX.).

Quot

Quot quantique vero morbi cacochymiae ortum suum debeat, partim ex primis Pathologiae principiis satis superque ianotescit, partim etiam aliqua ex parte ex diecndis constabit. Interim exinde symptomata §. VIII. XIV. recensita explicari possunt.

## §. XX.

Iam ista principia ad scopum nostrum applicanda sunt. Ut vero tam possibilitas, quam actualitas febrium in grauidis, dum nulla sufficiens ante gestationis initium adest causa efficiens, appareat: nunc ad harum possibilitatem ex ipsis symptomatibus, quibus grauidae obnoxiae esse solent, deducendam me accingo.

## §. XXI.

*Status grauiditatis febrium intermittentium genesis maxime fauet.* Cum ex §. VIII. constet, plurimas grauidas vitia diaetae admittere, tam ratione quantitatis esculentorum, quam ratione qualitatis: cum porro stasibus, debilitati, spissitudini humorum atque obstructionibus, nec non distensionibus partium internarum et cacochymiae grauidae sint obnoxiae (XVII. XVIII. XIX.), haec vero caussarum praedisponentium ad febres intermitentes numero accentuenda veniant (per Pathol.), atque etiam grauidae ad fortiora animi pathemata pronae sint: euidentissime patet, hasce caussas tam ad generandum viscidum, acre et tenax, modo in primis, modo in secundis viis, quam ad inducendum peculiare illud neruorum vitium (§. IX.) vasorumque abdominalium debilitatem, adeoque ad febres intermitentes determinandas esse aptissimas (§. IX.). Ad caussas communes quoque pertinet temperamentum sexus sequioris sanguineo-phlegmaticum, et, qui eidem ut plurimum competit, habitus corporis laxior et spongiosus, in quo iam viscidorum genesis est facillima.

*Illust. b. m. IVNCKERY in Tab. Therap. spec. Tab. CXXXIV. n. 13. pag. 684. ad incommoda grauiditatis refert febres intermitentes.*

C

## §. XXII.

## §. XXII.

*In grauidis ratio adest sufficiens, cur febres continuae actualitatem consequantur.* Quae vtero gerunt feminae, ciborum taedio et somnolentia vexantur (§. XIII.), se- et excretionibus languescientibus sunt obnoxiae (§. XVIII.), cacochymia quoque et fluxu menstruo suppresso laborant (§§. XII. XIX.), et ob irregularem ad insolita appetitum (§. XIII.), chylum habent partibus heterogeneis refertum, porro tristitia se committunt (§. eod.), adeoque spissitudinem et stases humorum alunt (§. XVI.), atque etiam congestionibus variis expositae sunt, et partim ob expansionem vteri, partim ob alum obstructam variaque, quae admittunt, animi pathemata, ad nimias acrioris bilis effusiones dispositae sunt. Iam vero omnes hae caussae vel acrimoniam inuolunt, vel ad eam euoluendam, vel ad inflammationem efficiendam sunt aptissimae (per Pathol.). Ergo tam ad caussam febrium continuuarum proximam constituendam, quam ad illam determinandam maxime sufficiunt (§. X.)

Febribus continuais adnumerantur 1. Febris lenta et hecūca. Facile haec a grauiditate determinatur, cum et cacochymia in grauidis adsit, et variae in iisdem stasim et obstructionum caussae praesto sint, demumque cruditatibus primarum viarum abundant feminae vtero gerentes. 2. Febres inflammatoriae. Neque istae impossibilis sunt sub grauiditate, quum plethora et cacochymia praesto sit, atque stasibus, obstructionibus, compressionibus et congestionibus adficiantur grauidae. Potissimum tamen hoc pertinent: febris inflammatoria vterina, intestinorum, ventriculi et vesicae, nephritis, splenitis, immo etiam hepatitis. 3. Febris biliosa, quae ob compressionem ductuum biliariorum et alum obstructam in grauidis, animi pathematibus potissimum indulgentibus, subnascitur. 4. Febres exanthematicae. Aliae harum febrium, vt purpura, etc. ob cacochymiam grauidarum sub grauiditate produci possunt, aliae contra ea, vt morbilli, variolae, dysenteria, nonnisi tempore gestationis, accedente alia caussa, excludi videntur. 5. Febres catarrhales benignae, quibus multum grauidarum cacochymia

mia fauet. *Illiſer. b. m. IVNCKERV S* febres acutas generatim grauidarum morbis accenset, l. c. num. 14. Et quis dubitabit, lentam in grauidis suboriri posse, quam extenuatio grauidarum primus quasi sit febris lentae gradus.

## §. XXIII.

*In ipsa grauiditate latet singularis dispositio ad febres continentes.* Superius (§. XVII.) demonstrare annisi suimus, in plerisque grauidis primis gestationis mensibus plethorae oriri debere. Cum igitur plethora, in quantum a quacunque caufa vehementior eiusdem inducitur orgasmus, omnium febrium continentium sit caufa proxima (§. XI.), facile exinde patet, fore, ut omnes caufae, quae cum plethora motum vehementiorem communicare valent, caufae quoque sint remotae sufficientes ad cauffam febrium continentium proximam euoluendam. Verum enim vero in grauidis feminis plures adsunt caufae sufficientes ad plethoram determinato in gradu commouendam, adeoque ad cauffam febrium continentium proximam producendam. Etenim pathemata animi, in primis iram, frequentissime admittunt; haemorrhagia illa naturali periodica suppressa laborant (§. XIII.); ob se- et excretiones languescentes (§. XVIII.) particulis salinis abundant, quae, maiorem globulorum M. S. resolutionem producendo, motum sanguinis intestinum augere possunt. Huic accedit noua vis, quae motum intestinum insigniter auget, nempe vis cordis atque arteriarum, a materia acri, cuius actualitatem §. ant. demonstratam dedimus, intensa, proinde et motus progressui celeritas aucta. Ex quibus omnibus plana iam conficimus consecutione, in ipsa grauiditate adesse singularem dispositionem ad febres continentes. Harum agmen claudant eae caufae, quae rationem suam sufficientem habere possunt in ipso sexu sequiori et in aliis caufis externis. Praecipuae harum sunt: diaeta lauta, vita otiosa, sedentaria, nimia Veneris concupiscentia, spirituosa largiter assumta, sensibilitas illa peculiaris, quae

C 2

huic

## DE PERICVLO GRAVIDARVM

hunc sexui competit, in primis motus muscularum voluntariorum corporis per saltationem, quam in summis habere solent deliciis, vehementissime intensus.

Quum febres continent ad acutarum familiam referri debeat, praecipiente id Pathologia, testimonium in Schol. antec. allatum hoc etiam pertinebit. Praeterea conferri meretur *Illasfr. STAHLI* Diss. de *Affectionibus Grauidarum*, in qua tam intermitentes, quam continuas atque continentes febres hisce accensere, *Magno huic Viro* placuit.

## §. XXIV.

In eo nunc est, ut *periculum febrium, in grauidis comparentium*, ostendam. Hoc vero ita perficere conabor, ut doceam, febres grauidarum, non solum in se spectatas esse periculosas, sed etiam inde ab earum impetu modo partum praematurum et abortum, modo difficilem foetus exclusionem eiusque deformationem, metuenda esse. Iam ergo ipsae causae, quae et partui prae-maturo, et abortui, et difficulti foetus exclusioni ansam praebere possunt, succincto sermone a nobis perfringendae veniunt, ut periculum, grauidis imminentis, eo firmiori fundamento a nobis superstrui possit. Etenim ex sequentiibus patebit, inter alia, quae eiusmodi foemellis febres portendere solent, discrimina, haecce, quibus febres vterum atque foetum exponere solent, tam praecipua, quam maxime tragica iure optimo esse denominanda.

## §. XXV.

*Abortus* inuoluit exclusionem foetus ante septimum grauiditatis mensem, a conuulsione vteri determinatam.

## §. XXVI.

*Partus praematurus* dicitur partus vitalis, ante nouem menses elapsos ex eadem (§. antec.) causa in lucem editus. *Partus* vero *difficilis* Medicis audit, quando non nisi maiori parturientis labore foetus excluditur.

*Partus*

*Partus vitalis* is vero audit, qui organis, ad vitam protrahendam necessariis, perfecte est instructus. Terminus a Medicis receptus est dies centesimus et octuagesimus post conceptionem, quo peracto, qui excluditur foetus, pro vitali declaratur.

### §. XXVII.

Adeoque omne id, quod conuulsiones determinare<sup>r</sup> valet, abortus quaque atque partus praematuri cauſa esse potest (§. §. XXV. XXVI.). Id autem, quod matris et foetus debilitatem, huīusque mortem atque aquarum defecūtum inducit, cauſa est partus difficultis (per Patholog.), licet etiam huius aliae adhuc cauſae exſtant.

### §. XXVIII.

*Conuulſio* est actio intensior involuntaria musculi, continuo reciprocans.

*Actio musculi reciprocans* dicitur, quando et contractio et relaxatio musculi ſe statim excipiunt.

### §. XXIX.

Cum spasmus sit actio intensior atque inuoluntaria non reciprocans fibrae alicuius (per Definit.), euidens erit ratio: cur omne id, quod spasmum producere potest, conuulsionis quoque cauſa remota eſſe poſſit. Hinc etiam spasm̄ ad cauſas remotas abortus atque partus praematuri ſunt referendi (§. XIX.).

### §. XXX.

Ex Obſeruationibus conſtar, spasmis proinde et conuulsionibus (§. XXIX.) illa obnoxia eſſe ſubiecta,

- I. quae cauſas admittunt, vnde congeſtiones oriuntur;
- II. in quibus orgaſmi humorum a quaenque cauſa determinantur;
- III. ſubiecta haemorrhagica, in quibus magna vaſorum facta eſt exinanitio;
- IV. quae plethora, ſpiffitudinem humorum et eacochymiam alunt;
- V. qui-

## DE PERICVLO GRAVIDARVM

- V. quibus excretiones languescunt, supprimuntur aut quantitate peccant;  
 VI. quae compressiones et extensiones partium patiuntur;  
 VII. quae acria admittere solent;  
 VIII. quae obstructionibus viscerum laborant,  
 IX. quae pathematibus animi indulgent;  
 X. quae vitae genus lautum, otiosum atque sedentarium colunt;  
 XI. his proximius accedunt, quae magna corporis extenuatione, a morbo  
     vel praegresso, vel durante grauiditate suborto, sunt afflictae, adeoque  
     ad conuulsionem vteri, ob defectum succi nutritii in yasis eiusdem, per-  
     quam sunt proclivia;  
 XII. ad conuulsiones tandem subiecta sensibilia atque debiliora magis in-  
     clinare, quam quae habitu corporis robustiori atque strictiori gaudent,  
     Medicorum obseruata docuerunt. Cum mihi proposuerim, strictim  
     saltem caussas tam antecedentes, quam praedisponentes abortus atque  
     partus praematuri pertractare, et nonnullas partus difficilis tangere:  
     non immorabor eruenda rationi sufficienti, cur in dictis caussis actuali-  
     tas caussae abortus et partus difficilis proxime contineri queat. Sed  
     cum in Pathologia harum realitas vberrime demonstrari soleat: a Le-  
     tore beneuolo veniam me imperaturum spero, si hocce labore in se-  
     quentibus supersedebo. Propius nunc ad febrium in grauidis pericu-  
     lum accedam.

## §. XXXI.

*Morbus est aequalis caussae suae efficienti sufficienti.* Caussa morbi ef-  
 ficiens sufficiens ea dicitur, quae continet rationem sufficientem existentiae  
 morbi, seu, qua posita poni quoque debet morbus, adeoque morbus concipi  
 potest tanquam effectus. Iam effectus est proportionatus caussae suae (per On-  
 tolog.): Ergo morbus est aequalis caussae suae effienti sufficienti.

## §. XXXII.

*Morbus est proportionatus ratione magnitudinis pluralitati et magnitu-  
 dii caussarum efficientium sufficientium.* Illud ens, quod rationem sufficien-  
     tem

tem mutationis alicuius in se continet, vi praeditum esse dicitur (per Cosmolog.). Quis vero negabit, morbum non inuoluere mutationem quandam? adeoque ad morbum producendum vis quaedam requiritur (§. antec.). Causa porro ea nuncupatur, quae continent rationem sufficientem alterius rei (per Ontolog.). Ergo causa et vis sibi inuicem possunt substitui, adeoque sunt eadem, ob identitatem notarum characteristicarum, quae ipsis competunt (per princ. Ontolog.). Quo vero plures et maiores vires ad mutationem aliquam determiniandam concurrunt, eo maior erit mutatio, eadem teste. Ergo quo plures et maiores causae efficienes sufficientes morbi adsunt, eo maior erit morbus.

### §. XXXIII.

*Quodsi plures causae efficienes sufficientes morbum producunt: tunc morbus erit aequalis omnibus causis efficienis sufficientibus simul sumitis* (§. antec. XXXI.). Si plura simul sumta vnum constituunt; tunc illud vnum totum dicitur (per Ontolog.). Iam finge tibi plures illas causas simul sumtas tanquam totum, et morbum tanquam complexum partium. Cum igitur, per prima cognitionis humanae principia, Totum sit aequale omnibus suis partibus simul sumitis: dubitari nequir, quin morbus sit aequalis omnibus causis efficienis sufficientibus simul sumitis.

### §. XXXIV.

*Quo plura obseruantur symptomata in uno morbo, eo maior is erit simili morbo paucioribus stipato symptomatibus, eiusdem quantitatis et qualitatis.* Symptomata Pathologis sunt mutationes praeter naturales in C. H. obuiæ, quatenus sensibus cognosci possunt. Hae mutationes praeter naturales, testante Pathologia, a morbo oriuntur. Sed effectus testatur de sua causa (per Ontolog.). Ergo, si cetera eadem fuerint, morbus, pluribus symptomatibus stipatus, grauior esse debet simili alio paucioribus symptomatibus incedente.

Simili

## DE PERICVLO GRAVIDARVM

Simili modo a magnitudine symptomatum ad magnitudinem morbi concludi potest.

## §. XXXV.

Adeoque magnitudo morbi vnius speciei in ratione directa esse potest, cum pluralitate et magnitudine symptomatum cum illo connexorum.

## §. XXXVI.

Ergo quodsi noua accedunt symptomata morbo vnius speciei, aut si priora increscent, tunc incrementum magnitudinis morbi erit proportionatum hisce symptomatibus.

## §. XXXVII.

Magnitudo igitur morbi decrescit, in ratione decrescentis et magnitudinis et numeri symptomatum.

## §. XXXVIII.

Cauſae morbi efficiētes ſufficiētes omnibus morbi ſymptomatibus ſimilium ſunt aequales (§. XXXIII.).

## §. XXXIX.

*Si duo vel plures cauſae febrium iam ante grauiditatem ſint determinatae: tunc durante grauiditate cauſa efficiens ſufficiens maius capere potest incrementum.* Concipe tibi cauſas febrium tanquam determinatam quantitatem. Omnis quantitas potest vel imminui, vel augeri, idque vel addendo, vel detrahendo partes. Cum porro ex §§. XII. XIII. XVI. XIX. abunde elucescat, cum ipſa grauiditate plures eſſe connexas cauſas, quae cauſam febrium efficiētem ſufficientem producere poſſunt, quas itaque tanquam nouas prioribus accedentes cauſas conſiderare licet; nullum amplius erit dubium, quin, exiſtentibus iam duabus vel pluribus cauſis febrium, ipſa cauſa efficiens ſufficiens durante grauiditate maiora capere poſſit incrementa.

## §. XL.

## §. XL.

*Ergo febris, cuius cauſſa efficiens ſufficiens durante grauiditate maiora cepit incrementa, maior idcirco et periculofor eſſe debet ea, quae ante grauiditatem potuit determinari a cauſſa, quam dein grauiditas demum adauxit.* Morbus eſt aequalis cauſſae ſuae efficienti ſufficienti (§. XXXIII.). Quo maior igitur eſt cauſſa efficiens ſufficiens febris, eo maior quoque febris ſit neceſſe eſt. Iam (§. antec.) demonstratum eſt, in grauidis adeffe cauſſas, quae cauſſam febrium efficientem ſufficientem ratione quantitatis adaugent: Liquidum ergo inde erit, febrem ſub eiusmodi determinationibus maiorem hinc et periculioſer eſſe debere. Cum porro ſigna morborum prognostica ratione periculi, Semiologia teſte, vel formanda ſint ex qualitate et quantitate cauſſae proximae atque ſympotatum, vel ex iipaſa individuali conditione depromenda veniant: morbus eo periculofor ſit oportet, quo maior eius eſt cauſſa efficiens ſufficiens.

## §. XLI.

*Febres grauidarum periculofores eſſe debent aliis a ſimplici cauſſa determinatis.* Veritas huius propositionis tam ex magnitudine cauſſae proximae febrium, grauidis ſuperuenientium, quam ex pluralitate et magnitudine cauſſarum determinantium cauſſam proximam, itemque ex ſympotatum iipſis ſollennium pluralitate et magnitudine eluceſcer. Ex §. XXXIX. appetat, in grauidis cauſſas oriiri poſſe, quae maiori febrium cauſſae proximae incremento anſam praebent. Iam eiusmodi febrem periculioſer eſſe §. XL. afferuimus. Ergo ex magnitudine cauſſae proximae febres grauidarum aliis a ſimplici cauſſa oriundis periculofores eſſe non negabis. In §. XXXII. demonstrata ſuppeditauius propositionem: morbum eſſe proportionatum, ratione magnitudinis, pluralitati et magnitudini cauſſarum determinantium cauſſam proximam. Cum igitur in grauidis plures adſint cauſſae, quae cauſſam febrium proximam producere poſſunt (§. XXXIX.), euidentiſſimum erit, febres gravidarum

vidarum, ob pluralitatem eiusmodi caussarum, aliis magis simplicibus periculosoress esse debere. In §§. XII. XIII. XVI-XIX. enictum est, plura feminis grauidis sollennia esse symptomata febrilia, quae in ipsa grauiditate rationem suam sufficientem habere possunt. Iam ponas: grauidam, febre decumbentem, praeter ea, quae cuicunque febrium speciei sunt communia, aliis quoque, cum ipsa grauiditate connexis, symptomatibus febrilibus esse obnoxiam, quorum possibilitas ex supra citatis §. abunde patet, tunc plura symptomata febrilia huic grauidae frequentia esse debere, quam aliis subiectis, concludendum tibi erit. Quo plura porro de morbo vnius speciei praedicari possunt symptomata, eo maior est simili alio, aequalibus quidem, sed paucioribus stipato symptomatibus (§. XXXIV.). Ergo ex hac quoque ratione veritas propositionis nostrae patet.

Plura, eaque, vt puto, haud leuidensia argumenta, stabiliendae huic nostrae propositioni maxime inferuentia, infra dicenda nobis suppeditabunt.

### §. XLII.

Ex his sequentes nunc formari possunt conclusiones:

- I. Magnitudo febris grauidarum est in ratione symptomatum cum illa connexarum (§. XXXIX.).
- II. Si noua symptomata febrilia grauidis superueniunt, tum magnitudo febris, ceteris manentibus, erit proportionata hisce symptomatibus (§. XXXV.).
- III. Si symptomata febrilia magnitudine adaugentur, febris ipsa grauidarum increscit.
- IV. Periculum a febribus earum, quae vtero gerunt, decrescit, vti symptomata magnitudine et numero decrescent (§. XXXVI.).

### §. XLIII.

Iam ad ipsa *symptomata febrium*, quatenus grauidis periculum adferre possunt, progredior. Posito enim periculo a symptomatibus metuendo, posse

ni quoque debet periculum morbi ipsius. Quis enim certissimum illud cognitionis humanae principium: qualis effectus, talis causa, in dubium vocabit?

## §. XLIV.

*Frigus periphericum, sive horrore, sive horripilatione sese exserat, est Symptoma grauidis periculosum.* Ex pathologicis innoteſcit, fluida sub frigore peripherico versus interiora propelli. Ex legibus motus porro patescit, fluida in motu constituta tendere in locum minoris resistentiae. Iam uterū grauidis tanquam locus minoris resistentiae considerari debet: Suppresso enim tributo lunari, sanguis, qui alias extra statum grauiditatis excerni debuſſet, in utero accumulatur, vasa maxime distendit, quae vasorum distensio expansioni uteri est proportionata, testante ipſa autopſia; hinc respectiuam debilitatem in iis, adeoque minorem resistentiam determinat. Paret igitur, sanguinem sub ipso paroxysmo frigoris magis versus uterū propelli debere; adeoque congestiones ibidem determinari possunt. Congestiones versus uterū, quia cum expansione vasorum connexae sunt, causae esse possunt ipsius proximae abortus causae (§. XXXI. num. I.). Abortum vero et grauidae et foeti periculosum esse, congruis argumentis in Pathologia euinci solet. Ergo realitas propositionis nostrae sufficienter erit euicta.

Alia adhuc ratione nocet frigus febrile. Efficit enim, ob sanguinis congestionem, debilitatem in vasis uterinis, unde noua abortus causa. Hinc explicari potest, cur abortus et partus praematurus quandoque die a febre intermitente vacuo oboriatur, quod testatur Illuftr. b. m. IVNCERVS I. c. dicens: *Notum est exemplum, quod grauida quaedam, febre tertiana correpta, die vacuo partum septimestrem exclusit.*

## §. XLV.

*Maius ab horrore, quam ab horripilatione grauidis imminet periculum.* Horrorem motum muscularum tremulum, dependentem ab influxu liquidi arteriosi in musculos modo impedito, modo restituto, supponere, ex patholo-

gicis notum est. Cum porro horripilatio tantum inuoluet influxum sanguinis impeditum in vascula minima peripherica (per Pathol.), tanta sanguinis quantitas sub horripilatione, quanta sub horrore versus vterum congeritur, non potest determinari (§. anteced.). Etenim ex anatomicis notum est, iu[m]sculos vasorum longe maioribus, quam quibus peripheria corporis gaudet, abundare. Sanguis igitur arteriosus ad musculos vehendus, ob resistentiam oblataam a via cordis et arteriarum, in longe maiori quantitate sub horrore, quam sub horripilatione, propellatur necesse est versus vasum hypogastricum, tanquam relativa debiliora (§. anteced.), unde effectus §. anteced. recensitos producere potest. Quo maior est cau[m]sa, eo maior est effectus. Ergo iure optimo concludo: maius ab horrore, quam ab horripilatione, grauidis imminentem periculum. Spasmus denique cau[m]sam efficientem sufficientem horripilationis et horroris constituit. Horror spasmum grauiorem, quam horripilatio, inuoluit (per Pathol.), eamque ob cau[m]sam ille spasmus exacerbati vicem sustinet. In pathologicis demonstrari solet, spasmus in uno loco exacerbatum in altero congestiones producere posse. Vides itaque, horrorem ad cau[m]sam proximam (§. XXXI. XLIV.) abortus determinandam aptiorem esse, quam horripilationem.

Ex his concludo:

- I. Quo maioris gradus est frigus in extremis, eo maius periculum grauidis est metuendum.
- II. Quo longioris deprehenditur esse durationis, eo maius periculum statuere debes (§. anteced.).
- III. Quo magis increscit frigus, eo magis quoque periculum increscit.

#### §. XLVII.

*Quo saepius frigus recurrit, eo magis periculum eiusmodi relativum increscit.* In §. XLIV. frigus tanquam symptoma grauidis periculosum considerauimus, illudque cau[m]sam esse posse cau[m]iae proximae abortus, a nobis asseratum

803

fertum est eod. §. Ponamus igitur, sub primo paroxysmo eiusmodi debilitatem respectuam, ob restrictionem sanguinis praeuiam<sup>t</sup>, in vasis vteri esse determinatam, quae sit = 1. tunc altero paroxysmo iam erit = 2. et tertio = 3. Augebitur itaque relativa illa vteri debilitas, vti numerus paroxysmorum crescit. Iam periculum illud abortus inter alia ab eiusmodi debilitate vteri dependet (§. XLVI.). Ergo concludere licet: quo saepius frigus recurrit, eo magis increscit periculum.

## §. XLVIII.

*Vrina sub febribus intermittentibus tenuis atque cruda continuo prodiens in grauidis, est suspecta, nisi aliunde, quam a febre, pendeat.* Sub paroxysmo frigoris febrium intermittentium vrinam tenuem atque crudam excerni, supra §. VI. dictum est. Spasmus igitur iste periphericus in organa vropœtica faeuiat, necesse est (per Pathol.). Haec nulla alia esse possunt, nisi vrethra, vesica, vreteres, pelvis et papillæ renales (per Physiol.). Verum enim vero, testante Anatomia, maximus adeo consensus horum organorum cum vtero atque vagina, tam ob communicationem arteriarum atque venarum, quam neruorum. Spasmus praeterea exacerbatus congestiones in altero loco, adeoque nouum ibidem spasmum producere potest (§. XLV.). Ne igitur, vrina tenui atque cruda in grauidis sub paroxysmo frigoris diutius prodeunte, spasmi eiusmodi grauiores ad vterum se se extendant, adeoque causam abortus proximam ad actum perducant, maximus subest metus.

## §. XLIX.

Orgasmus, vti in superioribus annotauimus, causa convulsionum, adeoque abortus etiam et partus praematuri exsistit. Sub calore vero febrii obtinet orgasmus, qui sub aestu adhuc maior est (per Pathol.). *Nulum ergo est dubium, quin calor febrilis, magis tamen aestus febrilis, grauidis notiuus sit.* Hinc etiam periculum huius grauius erit, quam id, quod ab illo effici potest. Verum alia adhuc ratione tunc nocet orgasmus. Ebullitio enim san-

guinis causa est haemorrhagiarum (per Pathol.). Quam periculosa debet itaque vteri haemorrhagia excludi, quando ab orgasmo suboritur abortus? Hinc HEVRNIUS in *Comment. ad Aphorism. Hippocratis Libr. V. Aphor. LV.* haec adiicit: *Vidi robustam mediaeque aetatis mulierem, quae, extremis mensibus febri ardenti correpta, ab abortu illico interiit.*

## §. L.

*Sudor febrium intermittentium, statim in initio largior in grauidis erumpens, plerumque cum periculo connexus esse solet.* Excretio sudoris supponit vel vasorum excretiorum laxitatem, vel motum progressiuum atque intestinum sanguinis maxime intensem, vel minorem cohaesione partium subtilissimarum aquearum atque salino-sulphurearum cum reliquis (per Physiol.). Prior causa, ob spasmum periphericum praegressum, hic maxime abesse debet. Sudor igitur posteriorum erit effectus. Motum progressiuum atque intestinum sanguinis intensem orgasmis aequipollere, quis negabit? Iam observationes docuerunt, orgasmos humorum causas esse posse causae proximae abortus (§. XXXI.). Consequens igitur erit, sudorem in initio febrium intermittentium largiter prodeuntem grauidis esse periculosum.

## §. LI.

*Sudor largus atque iugiter continuans debilitati foetus ansam praebere potest.* Excretio fluidi secreti semper inuoluit, reliqui manentibus, secreti non proportionatam (§. XVIII.). Quo magis se- et excretio in uno loco intenditur, eo magis in altero imminui debet, demonstrante id Pathologia. Sudor largus atque iugiter continuans se- et excretiones auctiores supponit (per Pathol.); hinc se- et excretiones in utero atque placenta languescere debent, sanguinisque ad foetum transuentis copiam imminutam esse operter. Sed hisce nutritio foetus perfici debet: Ergo vt nutritio foetus languescat ipse que debilitatem contrahat, necesse est. Sanguis porro per sudores eiusmodi

exce-

excedentes fluidissima sua parte orbatus, spissitudinem, stases atque obstrunctiones admittere et producere potest. Sed spissitudo, stases et obstrunctiones in vasis uteri atque placentae se- et excretiones in utero labefactatas reddere possunt, sanguinisque motum impediunt (per Pathol.). Nonne ergo eiusmodi morbi, a recensita causa in utero atque placenta producti, impedimento esse poterunt, quo minus ex vasis uteri atque placentae necessarium ad foetum rite deferatur nutrimentum?

### §. LII.

*Sudor determinati in §. antec. gradus defectum aquarum, foetum ambientium, producere potest.* In §. anteced. demonstrauimus, sudorem se- et excretiones in utero languidas reddere posse. Iam vasa se- et excretoria tunicae amnios cum vasis uteri communicant (teste Anatom.): Ergo necessè erit, vt in vasis quoque seroso- lymphatico- arteriosis amnii se- et excretio liquoris eiusdem, qui aquarum nomine venire solet, impediatur.

### §. LIII.

*Sudor largus atque iugiter continuans rationem in se continere potest, cur morbi malae conformatioonis in foetu primis mensibus determinentur.* Aquae foetum ambientes, si totum amnii cauum exacte implent, aequalem pressionem in foetum exercent (per Physiol.). Iam defectum aquarum a sudore produci posse, demonstratum est §. anteced. Sequitur ergo, inaequalem pressionem peripheriae corporis foetus ab aquis imminutis communicari debere. Ab inaequali vero pressione in corpusculum eiusmodi tenerrimum, a leui quoque causa externa mutabile, incrementum foetus inaequale, adeoque naturalis illius structura vitiata, nec non deformatio partium bene formatarum dependere debet: Ergo perspicua erit propositio nostra, vt de caussis externis, tunc foetum facile laudentibus, iam nihil dicam.

### §. LIV.

*Excretio illa cutis excedens determinare valet abortum, nec non partum praematurum.* Aquarum defectum excretionem sudoris abundantem inducere posse,

posse, §. LII. euictum dedi. Cum porro sub hisce determinationibus inaequalem pressionem foetus sustineat: inaequaliter quoque in velamenta, illum circumdantia, reagere debet (per princ. Phys.). Veruni ista velamenta sunt conexa cum superficie interna vteri (per Anat.): Ergo fieri potest, vt pars vna vteri a pondere foetus magis prematur, quam altera. Irritatio est effectus distensionis (per Pathol.). Causa proxima abortus, eadem docente, irritatio vteri esse potest. Porro caput foetus ab imminuto liquore amnii rite sustineri nequit, suo igitur pondere versus hanc vel illam plagam vteri prolabi deber, adeoque vterum ad contractionem stimulabit. Quibus omnibus iam accedit debilitas matris, adeoque vteri quoque, ob excedentem excretionem produeta. Consequens igitur erit: excretionem sudoris excedentem abortum et partum præmaturum determinare posse.

## §. LV.

*Abundantia sudoris foetum periculo caussarum externarum exponit.* Nullas facile mutationes a causa quadam externa in corpore, a fluido vndiquaque aequaliter circumdato, ob aequalem versus omnes plagas pressionem, determinari posse, tot egregiis argumentis in Physicis euinci solet. Quamdui determinata quantitas aquarum vndiquaque adest, tamdui quaquaversum aequalis earum et partium, eas circumdantium, pressio locum inuenit (§§. LIII. LIV.), adeoque mutationes in foetu a causa externa tunc erunt non ita faciles. Sed finge tibi, grauidam caussam quandam externam, e. g. iectum, lapsum, elevationem ponderum, distensiones vesicae, intestini recti, quae semper pressionem vteri partiumque connexarum inuoluunt, sub aquarum defectu admittere; nonne violentia ista externa, imminuta resistentia, eo liberius in foetum actionem suam exercere potest?

Ergo maius periculum imminet foetu ab eiusmodi causa externa, si in partem extra aquas iam haerentem agit.

## §. LVI.

## §. LVI.

*Si sudores copiosi in grauida continuare obseruantur: tum metus adest, ne partum patiatur difficultem.* Praeter alios eximios viis, quos liquor amnii tam foetui, quam matri praestare solet, praecipius quoque ille est, ut sub ipso partus negotio vias, quas foetus excludendus transire debet, lubricatas atque paululum relaxatas reddat. Vi quoque dolorum ad partum per vteri orificium cum membranis suis premitur, eamque ob caussam eius dilatationi atque depressioni ansam praebet (per Physiol.). Quodsi igitur liquor amnii in minima quantitate adesse, immo plane abesse deprehenditur, tum dilatatio atque depressio orificii vteri cum maxima difficultate erit stipata, et orificium vteri atque vagina minus lubricata, exclusionem foetus reddent difficillimam. Iam partus difficultis plura eaque grauiora impedimenta inuoluit (per Definit.). Sudores praeterea determinatae conditionis liquoris amnii defectum, qui tamen copiosus in ipso partu esse debet, inferre possunt. Ergo occurrentibus eiusmodi sudoribus periculum adesse, ne grauida partui difficulti atque laborioso exponatur, euicimus. Nonne quoque ipsa matris et foetus debilitas hanc caussam augent?

## §. LVII.

*Conuulsiones in iis partibus musculosis, quibus consensus intercedit cum vtero, sese exserentes, si febres grauidarum concomitantur, de statu periculosisimo testari debent.* Quod motus iste muscularum tremulus atque contractio violenta, conuulsionibus sollemnis, sese sub hypothesi nostra ad vterum partesque vicinas extendere possint, huius phaenomeni ratio ex §. XLV. erit petenda. Praeter haec existentiam conuulsionum symptomaticarum in febribus obseruationes abunde testantur. Nonne ergo et in grauidis conuulsiones oboriri, et caussam abortus et partus praematuri proximam constituere poterunt?

## §. LVIII.

*In quacunque febre vomitibus frequentioribus iisque vehementioribus grauidam vexari obseruabis, illam ad periculo/as referendam esse tunc statuere debes.* Vomitus supponit fibrarum orbicularium ventricui, nec non dia-phragmatis atque muscularum abdominalium motum conuulsionem. Omnis conuulsion actionem muscularum intensiorem requirit (§. XXX.). Iam ex praecceptis artis obstericiae constat, ad partum naturalem facilitandum, praeter alia, actionem diaphragmatis atque muscularum abdominalium auctam maxime conferre. Fieri ergo aliter nequit, quin horum actione, sub vomitu, viscera abdominalia pressa vterum simul in consensem trahant. Nonne igitur vterus ad contractio-

tractionem stimulatus sese actu contrahet? Necesse adeoque erit, vt vomitus vel abortus, vel partus praematuri caussam constituat.

## §. LIX.

*Quodsi febris grauidarum tussis grauior superuenit, superuenire autem symptomatice potest (per Observ.), tunc abortus atque partus praematuri suboritur ratio adest sufficiens. Sub tussi et diaphragma et musculi laryngaei atque intercostales, nec non abdominales in actione violenta, motui conuulsu simili, constituti esse deprehenduntur. Actio igitur eiusmodi violenta in vterum quoque sese exserere deber, diaphragmatis adeoque atque muscularum abdominalium actione intensa viscera abdominalia versus vterum, tanquam locum minoris resistentiae, premuntur. Iam (per §. XXXI.) compressiones vteri abortui et partui praematuero farent: Ergo perspicua erit realitas propositionis nostrae.*

## §. LX.

*Omnis diarrhoea grauidis facile potest esse periculosa. Diarrhoea enim ut conuulsio quaedam intestinorum concipi potest, cui tenesimus valdopere est familiaris. Verum conuulsio intestinorum ob vicinitatem facile sese extendit ad vterum, immo tenesimus in grauidis, testante iam HIPPOCRATE, abortum metuendum esse indigitat. Hinc a diarrhoea contingere potest, vt in gratiis abortus aut partus praematurus prouocetur.*

Quantum ob diarrhoeam grauidas exspecter damnum, accuratissimus suis temporibus Observator, diuus HIPPOCRATES, in *Aphorism. XXXIV. Sect. V.* egregie exposuit sequentibus verbis: *Mulieri vterum gerenti si alius multum fluat, periculum est, ne abortiat. Conf. ea, quae celeberr. Io. Iac. FICKIVS in Notis ad Hippocr. Aphorism. fusius in hancce materiam commentatus est.*

Nonne hinc simul nouum periculum, quod grauidis dysenteria adferre debet, innoteſcit?

## §. LXI.

*Crisis febris biliosae, quae fit per vomitum atque diarrhoeam biliosam, alias bona, respectu grauidarum facile mala et periculosa esse potest. Vomitum ob abortus et partus praematuri metum periculosis symptomatis esse adnumerandum, iam supra §. LVIII. euictum dedimus. Ad vomitum itaque biliosum haecce propositio quoque quadrabit, licet haud negandum sit, vehementiorem huic vomitus speciei, quam aliis, pro eminentiori bilis acrimonia, actionem*

nem in viscera abdominalia, adeoque et in vterum, competere posse. Dein §. antec. ostendimus, diarrhoeam etiam in grauidis esse periculosa. Nonne id eo magis valebit, quando a gravi producitur cauſa, qualis ea esse debet, quae eundem sub febre biliosa concitat?

## §. LXII.

*Quodsi cum febribus alii insignis obſipatio eſt connexa, tunc grauida modo maius adhuc abortus periculum incurrit, modo difficultius parit.* Alii obſtructio pertinax cum diſtentione intestinorum, ſpasmi, aliisque ſymptomati- bus grauioribus concomitata eſt ſolet (per Pathol.). Canalis intestinorum diſtensus iſum quoque vterum eiusque vafa atque neruos premere debet (per Anat.), quae preſſio eo maior eſt, quo maior eſt expaſſio atque cauſa diſten- dens. Iam compressiones vteri cauſae eſſe poſſunt cauſae proximae abortus et partus praematuri (§. XXXI.). Huc accedunt adhuc ſpasmi, cum partium diſtentione ſemper connexi, qui ad abortus et partus praematuri cauſas pree- diſponentes ſunt referendi, vi principii §. XLIV. ſtabiliti.

Concipe tibi diſtentio neſtinti recti, eum ſpasmi coniunctam, nonne ob connexionem, quaq; illi cum vagina intercedit (per Anat.), et com- preſſio et ſpasmi in illa determinari debent, qui in ipſo partu ſtadio ſuborti partum reddent diſſicillimum? Pro gradu enim, quo vterus com- primitur et ſpasmi adſicitur, modo abortus et partus praematurus, modo partus diſſicilis effici debet.

## §. LXIII.

*Summa virium proſtratio ſympota continuarum malignarum conſtituit grauidis periculofſimum.* Putridum illud, in quo cauſa febrium malignarum proxima ſita eſt, tam M. S. quam fluidis ab illa ſecretis, inprimis fluido lymphatico-feroſo inhaerere, Pathologia teſtatur. Putrefactionis effectus praeci- pius, eadem teſte, eſt rarefactio humorum; fluidum igitur nerueum, a lym- pha ſecretum, elatiſtitate ſua priuabitur, immo plane deſtruetur; hinc ſecretio illius vel imminuta, vel plane ſublata erit; ergo muſculorum actio imminui, immo plane ceſſare, adeoque cauſa proſtrationis virium proxima tunc determina- ri debet. Omnes igitur C. H. funtiones, quae ab influxu liquidi neruei in fi- bras muſculares dependent, ſimil languescere debent. Quanta vero exinde tam in matrem, quam vterum atque foetus redundabunt mala! Nonne chy- lifario, adeoque et nutritio matris, vteri atque foetus, tunc laedi debet? Nonne fibrae vteri muſculares vi ſua physica atque vitali inde priuantur? Vterus igi-

igitur summe debilitatus vim suam absolutam in ipso partus negotio exferere nequit. Necessario igitur symptoma illud malignarum partus difficillimi caussa euadet. Immo, ipsi foetui, tanquam parti corporis grauidarum, cum summa virium iactura tunc erit conflictandum. Sed foetus fatus atque vegetus ad concausas partus facilis refertur (per Physiol.); partus ergo respectu foetus quoque erit laboriosissimus. Atque haec omnia iam sufficere puto ad cognoscendum maximum illud periculum, quod tam matri, quam vrero atque foetui a summa eiusmodi virium prostratione imminet.

## §. LXIV.

*Quod si grauida febre, quae benignarum typum in initio seruat, corrripitur, tunc maximus adeft metus, ne in malignam degeneret.* Grauidas esse cacoehymicas, dyscrasia chyli atque feri laborare, excretionibus languescientibus immo plane suppressis, atque stasibus et obstruktionibus esse obnoxias, supra §§. XVIII. XIX. XXIV. a nobis euictum est. Pone nunc, te ad grauidam vocatum symptomata febris benignae, seu leuiora, quam quidem malignarum sunt, obseruare, tunc de praefentia febris benignae certus esse poteris. Attentus vero ad recensitas, quae in grauidis adsunt, determinationes, ne malignam febris eiusmodi benigna induat indolem, iure optimo metuendum esse statues. Nam caussae supra allatae, ad putrefactionem humorum, tanquam caussam febrium malignarum proximam, producendam sunt aptissimae, id comprovaunte Pathologia; ergo in casu proposito genesis febris malignae ex benigna erit facillima. Cum porro plures caussae, febres determinare valentes, in grauidis, quam in aliis subiectis sint possibles (§. XVIII. XIX. XXIII.); magnitudo vero symptomatum proportionata sit pluralitat caussarum (§. XXXII. XXXIV.), colligere hinc licebit: symptomata febrium benignarum et maiora et vehementiora euadere posse in subiectis grauidis. Sed symptomata febrium benignarum exacerbata transitum earum in malignas aperre monstrant (per Pathol.). Ergo iterum perspicua erit ratio propositionis nostrae.

Patet hinc, cur benignissima etiam alias febris catarrhalis et continens in grauidis in malignam abeat? Nonne hinc de iisdem idem valere poterit, quod generatim de malignis diximus?

## §. LXV.

*Febres lentae et hecicae in grauidis magnum portendere solent periculum.*

Nam hasce febres summa cum extenuatione corporis, nec non sudoribus colliquatiis atque diarrhoeis eiusdem indolis esse stipatas, obseruationes abunde confirmant. Chylificatione itaque laesa, adeoque et nutritione labefactata, eiusmodi subiecta maxime laborare debent (per Pathol.). Nonne igitur ipsi foetui

foetui atque organis lympham advehentibus nutritio inde subtrahitur? Ea igitur proportionē, qua mater, etiam ipsum foetus corpusculum, tanquam pars matris, debilitari atque emaciari debet. Proinde exclusio foetus mortui sub hisce determinationibus erit possibilis. Mater denique, summam virium iacturam passa, validos nifus ad partum accelerandum (§. LXIII.) edere nequit. Ergo tam ex parte matris, quam foetus, partus difficillimus necessario contingit. Praeterea ob vim vteri contractilem, ab hisce febribus summe debilitatam, partu quoque absoluō haemorrhagia lethalis erit metuenda (per Patholog.). Conf. ea, quae §. LXIII. annotata sunt, passim hic applicanda.

De noxīs a calore ardente atque sudore, tanquam symptomatibus communib⁹ hic exspectandis, conf. §§. LIII. - LIX.

### §. LXVI.

Quia inflammatio ventriculi seu febris ardens, alias *Causus dicta*, in gravidis facile potest exacerbari (per super.), adeoque ad ipsum vterum sese extendere (§. LXI); hinc *Causus grauidis periculosisimus esse debet*. Cum porro horror, aestus, atque anxietas praecordiorum, nec non obstipatio alii in hacce febrium specie sit vehementissima; haecce vero symptomata, vti pluribus in locis demonstrauimus, caussam abortus proximam determinare possint; hinc a magnitudine symptomatum ad magnitudinem periculi iure optimo concludo (§. XLII.). Nullum ergo dubium supererit, quin *Causus* ex hac quoque ratione summum grauidis portendat periculum.

### §. LXVII.

*Quod si accidit, ut grauida nephritis atque inflammatione vesicae laboret, tunc de periculis finis eorum effectibus nascitur suspicio.* In nephritis spasmī in regione lumbari; sub febre autem inflammatoria vesicae in regione pubis atque perinaei maxime faciunt (per Pathol.). Exacerbationes vero spasmorum manifesto indicant dysuria atque ischuria, vehementissima alii obstructio, cum tenesmis et colica, quae symptomatice cum hisce febribus connecta esse solent. Sed spasmī exacerbati possunt caussa fieri caussae proximae vel abortus, vel partus praematuri, vel difficillimi (§. XLVII.). Huc accedit, quod obstructio alii grauior atque tenesmi, ex rationibus §. LX et LXII. alatis, horum effectuum caussae praedispontentes esse possint. Praeterea queque caussa harum febrium proxima sese ad vterum extendere poterit (§. anteced.).

### §. LXVIII.

*In quacunque grauida, si febris inflammatoria vterina praesens est, tunc de periculosa illius solutione certissimam formare poteris prognosin, metuendumque est magnum respectu foetus, periculum.* Observatorum auctoritate constat, febrem inflammatoriam vterinam sibi vel per discussionem, vel per

## DE PERICVLO GRAVIDARVM

abscessum, vel per scirrum, vel per gangraenam atque sphacelum. Discus-  
sio debet fieri mediante haemorrhagia vteri, aut excretione haemorrhoidali, aut  
per sudorem copiosum criticum. Discusso per haemorrhagiam vteri videtur  
tam difficillima, quam periculissima, quoniam grauiditas prouectior excre-  
tionibus sanguineis suppressis stipata est (§. XIII.). Eruptio haemorrhoidum, ob  
caccochymiam grauidarum, tenebris connexa esse debet, qui ad abortum deter-  
minandum sunt aptissimi (§. LX.). Sudor copiosus grauidis periculosus esse so-  
let (§§. LIII - LIX.), et ob excretionem periphericam, durante grauiditate lan-  
guescerent (§. XVIII.), peccabit in defectu. Solutio per abscessum vteri, quia  
ob continuum adfluxum sanguinis, durante grauiditate auctum (per Physiol.),  
ipse abscessus augmentum capere potest, est periculissima. Scirrus facile  
fieri potest qualificatus, ob caccochymiam grauidarum connexam, adeoque in  
cancrum pessimi moris degenerabit. Omnem solutionem per gangraenam et  
sphacelum iam per se esse periculissimam, quilibet, nisi in pathologicis plane  
hospest sit, mihi facile concedet. Ergo patet, malam, respectu solutionis, for-  
mandam esse proguofin, si febris inflammatoria vterina ad grauiditatem acce-  
dit. Atque hoc iam innuit HIPPOCRATES, dicens (Sect. V. Aphor. XLIII.):  
*Si mulieri grauidae in vtero fit erysipelas, funestum.* Praeterea vero eius-  
modi febris modo ob inaequalem vteri expansionem abortui et partui praema-  
turo, modo partui difficultiori ansam praebere facile potest.

## §. LXIX.

Cries et lyses febrium vel erunt difficillimae, vel si contingunt, grauidam  
summo exponere possunt periculo. Ex pathologicis constat, cries continen-  
tibus iisque continuis febribus, in quibus peregrinae remissiones adsunt, esse  
sollennes; lyses vero in febribus chronicis iisque continuis, quae longis sti-  
pantur remissionibus, obseruari. Febribus igitur intermittentibus lysis pro-  
pria esse debet. Haec, obseruationum teste, contingit, vel per diaphoresin,  
vel diarrhoeam, vel vomitum, vel diuresin. Diaphoresis copiosiori sudori ae-  
quipolle (per experient.). Sed huius periculosa indoles §§. LIII - LIX. iam  
sufficienter est euicta. Lysis per sudorem in praegnantibus quoque erit dif-  
ficillima, ob excretiones cutis languescentes (§. XVIII.) et plethoram conne-  
xam (§. XVII.). Omnis porro lysis per diarrhoeam grauidis est periculissi-  
ma (LXI.). Quod tandem attinet vomitum, de periculo ab ipso metuendo te  
certiore reddit §. LVIII. Cum vero nulla lysis per diuresin copiosorem con-  
tingere possit, nisi per delationem materiae morbificae versus organa vrinaria  
(per Pathol.); cumque porro non solum diuretica sanguinem ad loca cum  
vtero proprius connexa congerant, sed etiam materia peccans intermittentium  
plerumque cum' acrimonia fit coniuncta (§. IX.); hinc spasmi in organis vro-  
poëticis

poeticis facile determinari poterunt, de quorum periculo §. LII. testatur. Febres porro continuae solui obseruantur: 1) per haemorrhagias, 2) haemorrhoides fluentes, 3) fluxum menstruum, 4) diarrhoeam, 5) feirrum, 6) gangraenam atque sphacelum, 7) abscessum, 8) vomitum, 9) per eruptionem exanthematum, 10) eorum exsiccationem atque desquamationem, et 11) per sudorem. Solutio per haemorrhagias est difficillima, quia nulla haemorrhagia sine praeuia congestione ad locum adfectum contingere potest. In grauidis vero iam congestio sanguinis versus vterum adest (per Physiol.), adeoque una congestio alterius ortum difficillimum reddere deberet. Quam periculosa vero sit haemorrhagia vteri, §. LXVIII. docet. Cum porro, consente experientia, haemorrhagiae in feminis plerumque cum spasmis vteri sint connexae: abortus ab eiusmodi haemorrhagiis, in partibus remotioribus subortis, est metuendus (§. XXXI. XXXII.). Conf. HOFFMANNI Medic. rat. system. Tom. IV. P. II. S. I. Ob cacockymiam denique grauidarum (§. XIX.) solutio vasorum, adeoque haemorrhagiae pessimae indolis inferri nonnunquam possunt (per Pathol.). Quam suspectae vero sint respectu grauiditatis eae solutionis febrium continuarum species, quae sunt per haemorrhoides fluentes, fluxum menstruum, vomitum atque diarrhoeam, nec non feirrum atque abscessum, ex §. §. LX. LXI. LXVIII. cognitu erit facillimum. Solutionem per gangraenam atque sphacelum esse plerumque funestam, frequentissim constat obseruationibus. Solutio per eruptionem exanthematum illorumque exsiccationem atque desquamationem, ad optimas quidem pertinere videtur, sed morbus per se ex aliis caussis (§. LXIV.) grauidis iam fensus esse potest. Demum solutio continuarum per sudorem non difficilis tantum, sed et minus in grauidis est salutaris. Quid tandem iudicandum sit de crisi febrium continentium, quae fieri solet vel per sudorem, vel per haemorrhagiam, tam ex antecedentibus, quam ex §. §. XIII. XXXII. LIII-LIX. colligere et determinare licebit. Vnde constat veritas enuntiatae propositionis.

## §. LXX.

*Plures dantur in grauidis determinationes, ex quibus ad methodi medendi restituuae, febribus dicatae, et ancipitem et periculosisimum effectum concludi potest.* Febres intermitentes, praeter alias indicationes, euacuantia per alium atque emesis, nec non diaphoretica sibi vindicant. Primae indicationi admodum circumspete satisfacere oportet. Quaedam enim tonum intendendo; quaedam stimulando; quaedam resoluendo; alia fermentationem excitando; alia primas vias lubricando atque relaxando operantur. Nonne vero Imus, Ildus, et IVtus modus cum irritatione tractus intestinalis connexus esse debet, cuius actualitatem mixtio eiusmodi indicatorum quoque aperte monstrat: hinc spasmorum ortus ab iisdem erit facillimus. Sed spasmi intestinalium grauidis sunt periculosisimi, demonstrantibus §. §. LX. LXVII. Resolutio humorum cum organica sanguinis commotione

plerum-

plerumque est connexa (per Observ.), ergo grauidis noxia (§. XXXII.). Ultima nobis adhuc restat indicatio, nempe ea, quae fit primas vias lubricando atque relaxando, quod obtinetur per sic dicta lenientia et abstergentia, cui indicationi per clysteres eiusmodi indolis quoque satisfieri potest. Haec nobis in statu eiusmodi complicato tutissima videntur, si modo ad viscidum eliminandum sufficientia esse possunt. Emeticorum usum grauiditas plane contraindicat (§. LXI.). Curatio febrium continuarum acutarum, in primis inflammatoriarum atque malignarum, inter alias indicationes, tempore remissionis diaphoresi paullo fortiori est absoluenda (per Therap.); sed quantum inde grauidis imminet damnum (§. LXIX.)! Denique cum lenissima esse debeat diaphoretica in febribus continentibus, docentibus regulis therapeuticis, non tam suspecta esse possunt eiusmodi indicata ratione grauiditatis.

## §. LXXI.

Ex his ad §. ant. allatis sequentia concludo:

- I. Ex methodo medendi restitutua febrium grauidarum ea, quae purgantium nomine in Therapi generali recententur indicata, quorum pertinent refinosa, salino-acria, et quae sic dictos clysteres stimulantes ingrediuntur, plane exulare debent; sed indicatis tantum lenientibus et abstergentibus insistat Therapeuta.
- II. In febribus cum grauiditate connexis Practicum rationalem abstinere oportet ab usu emeticorum.
- III. Diaphoretica fortiora nullum plane locum imanent debent in statu eiusmodi complicato, sed diaphnoica tantum lenissima in subsidium hic erunt vocanda.
- IV. Ceterum in curandis grauidarum febribus Therapentam oportet omnibus generalioribus regulis satisfacere, quae Therapia praecipit, et cauere, ne, vitaturus Charybdim, incidat in Scyllam.

## §. LXXII.

Dixi de periculo febrium simplicium in grauidis. Quanto ergo maius hoc erit, si febres ipsae compositae et complicatae fuerint? Quanto facilius, si iam in matre aut foetu ipso causae existunt, quae febrium effectui fauent? Ceterum ex antecedentibus simil ratio reddi potest, cur a febribus acutis maior, quam a chronicis, ceteris paribus, noxa in grauidis metuenda sit? quod Observatores testantur. Vid. Illustr. b. m. IVNCKERVS l. c. num. 14. HIPPOCRATES Aphorism. Sect. V. App. XXX. ROEDERER Element. art. obsteir. §. 722. CORN. van SOLLINGEN Embryol. Cap. II. p. m. 5. Illustr. b. m. HOFFMANNVS Medic. ration. system. Tom. IV. P. III. Sect. II. Cap. IX. pag. 541. nec non Illustr. STAHLIVS l. c. Nemo dein ex eo, quod febres grauidarum non semper sint tantopere periculosae, concludet, illud, quod diximus, harum febrium periculum esse fictitium. Nonne enim peccatis periculosisima febris manet, licet sint, qui emergant?

T A N T V M .

Diss. med. Hal.


g. 1763/64.

ULB Halle  
005 379 296

3







## Farbkarte #13

Blue      Cyan      Green      Yellow      Red      Magenta      White      3/Color  
Black      B.I.G.

OSI MEDICORVM ORDINIS  
**GIA FRIDERICIANA**  
PRAESIDE  
ENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**ELIA BÜCHNERO**  
ANI IMPERII NOBILI  
AE REGIS CONSILIARIO INTIMO  
RALIS PROFESS. PVEL. ORDINARIO, FACULTATIS  
ALVMNORVM EPHORO, IMPERIALIS ACADEMIAE  
REGIAR. SOCIETAT. SCIENTIAR. ANGLICAN.  
NSPELIENS. SODALI, ET COMITE  
TINO CAESAREO,  
PRO  
D O C T O R I S  
NA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
IORVM LEGITIME CONSEQUENDIS  
BR. A. S. R. CI<sup>O</sup>I<sup>O</sup>CCLXXXIII.  
ICE DISPVTABIT  
AVCTOR  
**CORGIVS WEGELIN**  
HEMIO - FRANCVS.  
RGICAE, LITTERIS BEYERIANIS.